

TION NUM

XL



1. De Assentationibus Itorum. P. A. Leyser. R. A. F. de Drandorf.
2. De Juris Romani et Germanici Differentiis. P. J. P. Ludwig.
R. F. Legnick.
3. De pignore conventionali facitoli. P. N. Hertig. R. F. Antonig.
4. De Injuriis. P. J. Mehlbaum. R. J. Parthesig. de Meuffern.
5. De Jure retractus. P. J. V. Dechman. R. C. Leyssel.
6. De actionibus feudalnomine competentibus. P. J. Christ.
R. C. Schütz.
7. Jurisprud. Supra Italianae Solresplendescens. Autore.
H. P. Haberkornio.
8. De Exceptionibus in genere et summation potissimum
vero de variis dilatoriarum et peremptoriarum speciebus.
P. J. Lotichig. R. F. V. Wisel.
9. De Pignorationibus. P. C. Mantig.
10. De Renovatione investiturae feudalis. P. C. Fiegler.
R. J. A. Schreckenbach.
11. De eo, qui est sine domicilio accus. L. 27. D. 4. ad municip.
P. C. Thomafius. R. J. C. Schütz.
12. De Arbitro compromissario et Judicibus Austriacis. P.
J. Neberg. R. J. F. à Luttitz.
13. De Fideicommissis familiae. P. J. Rinckig. R. Chabfarbon
von Einfeldt.
14. Juris controversi Theoretico practici Decas. P. Lud. Menckeng.
R. J. L. Mencke.
15. De jure possessionis. P. A. Ricig. R. J. Waelhof.
16. De Codicillis. P. Feisler. R. F. V. Schütz.
17. De restitutione alieni injuste ablatis. P. J. W. Martini.
R. H. Pringatz.
18. De Legitimatione. P. F. Feisler. R. J. von Dale. (et in Tom. 12. D. 24.)
19. De Incediorum Jure. P. A. Z. Cramer. R. H. ab Horn.
20. De actione in factum pro refinenda possessione praesenta
nea competente. P. J. Bornig. R. G. Beckerg.

21. De Thesauris. P. J. G. Simon. R. P. de Ramel.
22. De Successionibus legitimis earumque jure. P. H. Coselig.
R. J. Leickher.
23. De Creditoribus, et Debitoris Debitoribus.
P. H. B. Ross. R. P. von Briff.
24. De Privilegiis ordinis. P. J. V. Beckmann. R. D. Wachsmuth.
25. De Actione Confessoria. P. F. Geisler. R. W. H. Ingelman.
26. De Exceptione Legitimationis personarum in iudicio
comparentium. P. J. G. Simon. R. L. a Ramshausen.
27. De Collatione Succeedentium. P. P. Bryck. R. G. Luthens.
28. Periculum legale de Dolo Syndico per H. W. a L.
29. De Collatione Bonorum. P. G. C. Walther.
30. De Retinentia. P. H. B. Ross. R. C. F. Langstr.
31. Relutiones. P. H. Lincke. R. J. Hampe.
32. De Mandato speciali et actibus, qui sine eo a procu-
ratoribus in iudicio peragi nequeunt. P. M. H. Gribner,
R. J. F. Schlegel.
33. De errore non nocivo. P. J. E. Weise.
34. De Jure liberorum in scio vel non consentiente
Patre Legitimatorum. P. D. Schwedery, R. J. G. Schwedery.
35. De Transactione ob enormem laesionem non re-
solvenda. P. C. Wildvogel. R. J. A. Stock.
36. De reservatigne Hypothecae a venditore facta in
securitatem pretii residui. P. C. O. Nylig, R. W. H. Mollwitzig.

oo
Sant melbd. 79

NO.
DISSERTATIO JURIDICA,
De
RENOVATIONE
INVESTITURÆ
FEUDALIS,


Quam
Indultu Nobilissimi Electorum Ordinis

SUB PRÆSIDIO
D. CASPARI ZIEGLERI,

Sereniss. ac Potentiss. Elect. Saxon. in Supremo Judiciō
Appellationum Senatoris, Facult. Jurid. Wittenb. Ordinarii,
& Decani, Curia Electoralis, Scabinatūs,
Consistoriiq; Assessoris,

publ. defendet
JOHAN-ADAM Schreckenfuchs /
Müg. Misn.

Hor. locoq; consuet. Die IX. Mart. A. c. l. l. c. LXXXII.



WITTENBERGÆ,
Prælo MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.



FELICITER!

§. I.



Rincipiò tantum abfuit, ut ullam
fucceffionem habuerint feuda, ut etiam
in Domini concedentis poteflate fuerit,
feudum concessum, quandocunqve vel-
let revocare. *I. f. 1. §. 1. Hartm. Pift. l. 2. qv. 19.*
n. 1. Struv. Synt. Jur. Feud. c. 9. apb. 1. n. 1.

Qvam feudorum naturam etymon & vox Germanica innue-
re quodammodo videtur, cum appelletur ein Lehn: quod si
propriè latinâ lingvâ donare velis, commodatum, sive speci-
em commodati, precarium puta, *l. 1. §. 3. ff. de precar. nomina-*
bis. Quemadmodum enim hoc precibus utendum concedi-
tur tamdiu, quamdiu is, qui concedit, patitur *d. l. 1.* ita feuda
olim non nisi ex merâ gratiâ concessa pro lubitu Dominorum
(ut modò dictum) auferri rursus potuerunt. Nec aliundè
fortassè fiebat, quod, introductâ quantumvis novò jure suc-
cessionem, mortuò tamen Vasallò, filius agnatusve succedens
renovationem investituræ à Domino feudi, in memoriam
velut pristini temporis, etiamnum petere tenebatur. Quod
postmodum non solum eò casu, quò Vasallus mutatus est, ob-
servatum, sed ulterius quoque ad casum, quo Dominus muta-
tur, porrectum *Struv. c. 10. apb. 1. n. 2.* hòc nostrò etiam ævò,
morte omnibus acerba JOHANNIS GEORGII II di, piissi-
mæ memoriæ, usu venit, mihiq; in præsens de hâc potissi-
mum materiâ ansam dedit disserendi; cui cœpto æternum,
quod omnia moderatur, Numen adspiret!

A 2

§. II. E

§. II. *Est autem Renovatio Investituræ actus, quò, contractu feudali, ob mutationem Domini vel Vasalli, debitò modò ac tempore renovato, investitura vetus stabilitur ac confirmatur.* Describimus per actum; quod genus factis, quæ absolutè celebrantur, competit, *l. 19. ff. de V. S.* Licet enim in renovatione investituræ interveniat factum aliquod conventionale, nimirum, qui renovatur, contractus feudalis; ipsa tamen renovatio in se considerata est factum absolutum. Planè quemadmodum stipulatio, non quatenus ipsam stipulationis formam, negotium aut solennitatem, sed factum duntaxat interrogandi & respondendi, animumq; & voluntatem agentium significat, *l. 7. §. 9. ff. de pactis*; item numeratio, prout ipsum numerationis tractatum & factum numerandi, non verò negotium, quod fortè numerandò contrahitur, vel liberationem, quæ per numerationem contingit, denotat, in citatâ lege, tanquam exempla actuum, subjiciuntur. *vid. Gædd. ad d. l. n. 5.* Reliquis verbis differentia specifica & sex potissimum notanda continentur: nimirum objectum, causa proxima, subjectum, modus, tempus & denique effectus renovationis investituræ.

§. III. Objectum est contractus feudalis; qui constat solenni feudi concessione, quæ fit à Domino; & fidei promissione plerumque juratâ, quæ præstatur à Vasallò. Refertur autem hic contractus à Dn. Struv. *c. 8. apb. 4. n. 2.* inter nominatos & quidem consensuales ac bonæ fidei. Nominatus est contractus feudalis, quia nomen speciale, h. e. specialem contrahendi formam habet, & non demum ob causam seu actualem dationem vel factum, sed statim vi ipsius conventionis obligat. *vid. l. 7. §. 1. ff. de pact. Rosenth. c. 1. concl. 4. n. 4.* Unde etiam Dominus promissâ fide, licet actu ipsi nondum illa

illa exhibita fuerit, poenitere non potest, sed tenetur tradere possessionem. *II. f. 26. §. si facta l. 5. C. de Obl. & act.* Pari modo, quoniam contractus feudalis solò perficitur consensu de tradendâ re & ratione illius præstandâ fide: atque continet mutuas præstationes, *II. f. 6. & 7.* contractibus consensualibus ac bonæ fidei non immeritò annumeratur. *vid. Struv. d. l.* Renovatur autem ideò, tum ut Domino suus honor & respectus exhibeatur, dum Vasallus feudum non tam successione propriâ, quàm pactionibus ex benevolentia Domini tenet; tum ne jura Domini oblitterentur, nec Vasallus aliquam ignorantiam aut præscriptionem prætereundere possit, *Rosenth. c. 6. concl. 29. n. 6. & seqq.*

§. IV. Causam proximam (remota enim est ipsum jus feudale) voco mutationem in personâ Domini vel Vasalli certis casibus obtingentem; *II. f. 3. pr. & 24.* quo tendit clausula illa in literis investituræ apponi solita: *Dasß der Vasall der Lehn/so offft die Zufall komme/gebührlche Folge thun solle. Schneidew. d. feud. p. 5. n. 1.* Et quidem mortuò alterutro, Vasallo sc. vel Domino, evenire casum, ob quem denuò petenda sit investitura, facile constat. *II. f. 24. & 40. pr.* Quid autem juris statuendum, si plures habeant successores? Dicimus, Vasalli quidem heredes, etiam communiter feudum possidentes, nisi unum ex suis sociis consensu Domini elegerint, qui id omnium nomine explicet (vulgò vocatur *Lehnträger*) ad renovandam investituram omnes obligatos esse. *II. f. 26. §. 6. omnes filii II. f. 55. §. 1. præterea in fin.* Cùm enim singuli, licet ratione unius feudi, sint vasalli, singuli quoque ad vasallitica officia, & per consequens ad fidelitatem toties, quoties opus est, promittendam obstringuntur. *Schrad. p. 6. c. 1. n. 6. Rosenth. c. 6. concl. 36. n. 1. & seqq.* Secus verò quoad Domini successores comparatum est. Non enim à singulis eorum seorsim Vasallus renovationem investituræ tenetur petere; *add. II. f. 55.*

§. 1. in fin. 77. 102. *Lehrb. c. 29.* quia juxta vulgatam regulam
juris ex personâ heredum conditio obligationis, præsertim
indurius, non immutatur. *l. 2. §. 2. ex his ff. de Verb. Obl. l. 2. §. 2.*
incertam ff. de prat. stipul. l. 56. in fin. ff. de cond. & demonstr.
Quare sufficit vel omnibus simul præsentibus uno actu & no-
minatim, vel uni, communi tamen nomine ac vice recipien-
ti, fidelitatem facere ac jurare. *Carpz. p. 2. C. 45. def. 29. n. 5. 6.*
&c. Estq; in arbitrio heredum seu Dominorum, quemnam
ex seipsis eligere velint, eiq; vices hasce demandare. Quod si
verò convenire nequeant, Dominus superior requirendus
est, ut definiat, cui ex heredibus Domini inferioris fidelita-
tem jurari velit. *Rosentb. c. 6. concl. 38. n. 8. 9. cum seqq. & Carpz.*
d. l. Ulterius quæritur: an tunc etiam, si unus ex pluribus
Dominis in communiõne viventibus moriatur, renovanda
sit investitura? Respondet Franzkius *l. Ref. 19. n. 22.* si condo-
minus iste nullos relinquat liberos, fidelitatem de novo à Va-
sallo superstite jurandam non esse, sed sufficere, si solum erga
cæteros Condominos se declaret, quod ab illis pro parte Do-
mini defuncti ad eos devolutâ non minus feudum recogno-
scere velit, atqve olim id à demortuò recognovisset: si verò
liberi relinqvantur, tunc ad utrumque & petendam investitu-
ram & fidelitatem jurandam Vasallum utiqve teneri. Etenim,
cum priori casu is jampridem omnibus in solidum juramen-
tò obligatus fuerit, novò vinculo amplius non opus est, sed
sufficit, si recognitionis ergò, quoad partem condomini va-
cantem, uti dictum, se declaret. Id quod verò posteriori casu
hâud procedit; quod eò Vasallus, cum juramenti virtus perso-
nas saltem, inter quas interponitur respiciens regulariter ul-
tra eas ad successores non pertingat, liberis Condomini de-
functi nunquam fuit obligatus. Eadem ratio cum militet
etiam in casu conversò, ubi scil. ex pluribus Vasallis, feudum
simul

simul possidentibus, unus moritur, rectè is à *Dn. Struv. c. 10. aph. 3. n. 2.* eòdem penè modò deciditur, ut nimirum renovatio investituræ non, nisi demortuo supersint liberi aut feudum possessum fuerit pro diviso, illo casu requiratur. *add. Lehnr. cap. 32. in fin. & ibi addit.*

§. V. Præterea mutantur Dominus & Vasallus, si jura, quæ habent, alienant ac in alium transferunt quòcunqve titulo. Ubi statim ad Vasallum quod attinet est distingvendum: utrum in agnatum ex primò acqvirente descendente, an verò extraneum consentiente Dominò transferatur. Nam priori tantum casu renovatione opus est, *Schrad. p. 6. c. 1. n. 5.* non etiam posteriori; quia, tum illi, qui ita feudum primùm acqvit, planè nova fit investitura. Vasallus enim vendens rem feudalem consensu Domini, feudum emtori non constituit, sed tantum rem, in quâ ipsi feudum constitutum, alteri vendit. *Struv. Syntagm. Jur. Feudal. cap. 7. aph. 1.* Cæterum alienatio comprehendit etiam divisionem, quippe quæ vicem emtionis *l. 1. C. comm. utr. jud. & permutationis* habere dicitur, *l. 20. §. 3. ff. fam. hercisc.* Hinc si v. g. plures fratres in communiõne existentes Vasallos suos investierint, ac postmodum factâ divisione, pars certa feudi uni eorum adjudicata fuerit, Vasalli, qui ratione hujus partis ipsi soli obvenrunt, ab eodem investituræ renovationem petere debent. Sicut enim divisione rerum hereditariarum factâ, quilibet heredum rem, quæ ad ipsum ex divisione pervenit, partim à seipso seu defunctò, partim verò à coherede obtinere existimatur; *l. 7. C. comm. utr. jud.* ita & quilibet fratrum dividendum feudum, censetur partem feudi, quam ex divisione obtinet, partim à seipso partim à fratre habere. Consequens igitur est, cum antea pro sua tantum ratâ, quam in illâ portione habebat, investierit Vasallos, & nunc aliam à coherede

rede

rede obtineat, pro eâ etiam parte, tanquam mutato illius dominò, investituram novam necessariam esse. Atque ex hâc prædictâ ratione etiam in casu conversò, in pluribus videlicet heredibus Vasalli receptum est, ut, etsi hi post mortem parentis simul investiti fuerint, divisione tamen facta, quilibet ratione portionis, quæ sibi in divisione obvenit, investituræ renovationem petere teneatur. *Hartmann. Pistor. Observat. Sing. 186. num. 1. 31. & 37.* Quod tamen in Aulâ Electorali hanc recipit interpretationem, ut utroque casu is, qui semel juravit fidelitatem, novò juramento onerari non soleat, sed sufficiat, eum stipulatâ manu fidem prius juratam interponere & promittere, se id, quod antea juraverat, etiam respectu ejus partis, quam de novò acquisivit præstiturum. *Hartmann. Pistor. l. 2. quest. 47. num. 13.* Denique cum Vasallus feloniam, aliudve, (ob quod feudò privandus est) delictum commiserit, sine dubio etiam agnati successores renovationem investituræ petere debent. Id quod extenditur, ut etiam locum habeat, si feudum per delictum amissum & vasallo à Domino ablatum, rursus eidem concessum fuerit; siquidem prior investitura in rei veritate exspiravit. *Schrad. p. 6. c. 1. n. 5. 6. Rosenth. c. 6. concl. 39. n. 2.*

§. VI. Hisce traditis, proximum nunc est, considerare subjectum, sive à quò & cui renovatio sit impetranda. Enimverò patet ex jam dictis & adserunt ubique tum textus, tum interpretes, quod à Domino hæc investituræ renovatio sit petenda. Sed, si Vasallus, sicut in feudis majoribus, ut regnis, ducatibus &c. frequentissimum est, vel totum feudum vel partem ejus alteri in feudum contulit, (zum Aßterlehn hat angeſezet) quod vulgò subinfeudare nuncupamus, ab utro Domino, mediato, an verò immediato, hanc investituræ renovationem iste sub-

subvasallus (*AffterlohnMann*) petere debeat, non immerito possit dubitari. Verum hanc etiam dubitationem eximunt *Schr. p. 6. c. 3. n. 2. Rosentb. c. 6. concl. 63. n. 1.* statuentes, quod à Dominò immediatò & non à Dominò primò Vasallus quilibet investituram hanc petere debeat, nisi medius ille Dominus, fortassè sine successore feudali vita fungatur, quia tùm subvasalli à Domino Domini recognoscere debent. Minus dubitandum est, quod, Domino absente vel nondum egressò pubertatem, ab ejus procuratore aut tutore, si quem habet, necessariò petenda veniat renovatio investituræ & eà omisâ, Vasallus à caducitate non excusetur. Id quod nonnullis exporrigendum videtur, ut & à maritò, qui juris directi dotalis usufructuarius & administrator, & à ventris curatore, si fortè Dominus uxorem gravidam reliquerit, & fundus dominans ejus sit naturæ, ut partus in illò succedat, sive nascatur masculus sive fœmina, renovationē investituræ petere oporteat. *Schr. p. 6. c. 2. n. 32. Rosentb. d. l. § c. 6. concl. 42. n. 2. § eod. c. concl. 50. n. 7.* Obiter addo, quod mortuò Episcopò, si alius intra annum & diem non fuerit electus, renovatio Investituræ à Capitulo peti debeat. Perinde ac Principes Imperii post mortem Imperatoris, durante vicariatu, intra annum & diem à vicariis investituræ renovationem petere necesse habent. *Carpz. p. 2. c. 45. d. 22. n. 5. 6. Struv. c. 10. aph. 2. n. 3.*

§. VII. Obligatus autem est ad renovandam investituram omnis Vasallus ejusve heres, quamvis pro se & heredibus, vel vice versâ Domino ac successoribus prima investitura fuerit facta. *Schr. p. 6. c. 1. n. 4.* Nam eò non attentò heredes Vasalli à Domino aut ipsius successore renovationem petere & jusjurandum præstare sub amissionis periculò adiguntur. Tùm quod juramentum, respectu potissimum

B

præ-

stantis, sit personale nec transeat ad heredem aut successor-
rem, tùm quod contractus feudalis hanc habeat singularem
naturam, ut semper Domino vel vasallò mutató *II. f. 24. pr.*
& 40. pr. sit renovandus. *Rosenth. c. 6. concl. 35. n. 2.* Et hæc
locum habent sive Vasallus sit Masculus sive foemina, sive
Clericus sive Laicus, sive persona singularis sive universi-
tas. Quò tamen casu non singuli homines universitatis co-
guntur petere renovationem, sed ipsa tantum universitas e-
am obit per Syndicum suum; ex cujus morte etiam neces-
sitas renovationis plerumqve æstimatur, *Schr. p. 6. c. 1. n. 1. 2.*
Quamquam non rarò ejusmodi collegiis certum tempus
præfinitur, quò præterlapsò petant renovationem investi-
turæ; quia sc. aliàs, cum civitas seu alia universitas sit immor-
talis *per l. 76. ff. de jud. l. 56. de usufr. I. f. 13. vers. ideo debi-*
tus hic honos Domino nunquam exhiberetur. Struv. c. 10.
apb. 3. n. 3. Licet verò expeditum sit de jure communi, quod
non nisi possidens feudum renovare debeat investituram;
ut inde etiam audacter concludat *Rosenth. c. 6. concl. 49. n. 1. 2.*
tàm simultaneè investitos, quàm habentes, uti vocant, ex-
pectativam (eine Anwartschaft eines noch unverledigten Lehnm-
manns) eadem posse supersedere. Tamen in forò Sax. pro-
pter diversum jus, quod utrisqve ibidem competit, diver-
sum planè observatur. Cum enim simultanea investitura
tribuat hòc jure jus firmum ac radicum in ipsò feudò, ein
beständig Recht an den Lehn / ut loquitur, *Ord. Torg. de Anno*
1583. tit. welcher Gestalt die Agnaten und Mitbelehneten / vers.
Jedoch ist solehes re. Carpz. p. 2. C. 45. d. 16. n. 2.; expectativa
contra spem tantum futuræ investituræ & actionem perso-
nalem *Carpz. ad d. C. defin. 1. n. 5.* expectativam quidem
habentes itidem, ut jure communi, dum demum, quando
existente conditione feudum ipsis delatum fuit, intra debi-
tum

tum tempus petere solent investituram; *Const. Elect. 45.*
§. So viel aber *vers.* das dem Bedinge *re.* simultaneè verò
investiti toties, quoties possessio feudi, de quò simultaneè
investiti sunt, per mortem aliamve mutationem Domini
vel Vasalli possessoris interrumpitur, *c. 32. Lehr. vers.* Es
sey denn daß einem die Anwarthung *re.* *Const. d. 45.* §. der ge-
sambten Hand aber *re.* *Carpz. ad eand. def. 17. n. 2. & seq.*

§. VIII. Et tantum etiam de Subjecto. Hoc
excipit modus; circa quem præcipuè notandum,
quod renovationem investituræ Vasallus à Domino feu-
di humiliter, devotè, & cum honoris præfatione petere
debeat. *Schr. p. 6. c. 1. n. 19. Rosentb. c. 6. concl. 65. n. 1.* Et
quidem jure Sax. præsentibus paribus curiæ; *cap. 22.*
Lehr. licet ipsa investituræ de feudò antiqvo etiam extra-
neis testibus intervenientibus facta tam Sax. quam civili
jure valeat. *II. f. 32. Schr. p. 6. c. 1. n. 23.* Non verò sufficit
Vasallum accedere feudi Dominum, eiqve significare,
prædecessorem suum, feudi possessorem, mortuum es-
se, vel alium casum petendæ investituræ evenisse; sed co-
gitur expressè petere renovationem investituræ, ut Do-
mino de intentione petentis dilucidè constet. *Sch. p. 6. c. 3.*
n. 4. Ut tamen fidelitas simul polliceatur, de jure com-
muni, licet discrepet in hoc jus Sax. *Lehr. cap. 22. § 50,*
requiri haud videtur. Nam qui simpliciter investituram
petit, eò ipsò se tacitè offerre intelligitur ad præstandam
fidelitatem, cum sine eà quis investituram impetrare non
possit, *II. f. 3. §. nulla junct. l. 76. ff. de acqvir. hered.* De-
bet etiam Vasallus persequi hanc petitionem, & apud Do-
minum, ut ipsum de feudò investiat, instare diligenter:
nec potest dici juris feudalis dispositioni satisfacisse, qui
semel atqve iterum renovationem petiit, sed statim ante

responsum acceptum sine licentiâ discessit rursus. Nam non aliter Vasallus excusatur, quam si debitò tempore & modò petiit, & Dominus conferre recusavit, vel nimium distulit, nec ullum responsum, aut breve requisitionis testimonium, (vulgo *Muth = Zettel* /) vasallo dedit. Qvò casu is optimè sibi consulit, qui petit renovationem investituræ vel sub protestatione vel per notarium ac testes; quia alias, petitionem tempore ac modò debitò factam esse, ad hoc ut excusetur à commisso, vix ac ne vix quidem docere potest. *Schr. p. 6. c. 3. n. 8. Rosenth. d. concl. 65. n. 5, 6.* Porro Vasallus renovationem investituræ non tantum per se, sed etiam per procuratorem suum petere potest. *II. f. 3. §. sed utrum.* Cum enim omnis generis actus à procuratore, cum speciali mandatò ad eos constituto, expediri possint, neque in hòc casu id prohibitum reperiat, existimo cum *Rosenth. cap. 6. concl. 37. n. 5.* procuratorem cum speciali mandatò admittendum, & audiendum esse, nisi aliter, ut in Aulâ nostra, usu receptum aut fortasse Dominus Vasalli personam ex causa aliquâ probabili requireret. Qvin imò etsi procurator nullum omninò mandatam habens investituram nomine Vasalli renovarit, & Vasallus hoc intra legitimum tempus habuerit ratum, petitio hæc renovationis investituræ perinde rata est, atque si ab ipso Vasallo, vel ab alio, ejus mandatò, facta fuisset. *l. 26. ff. de minor. l. 60. ff. de R. I.* Quæ rati habitio ex eò inducitur, tum si Vasallus cognovit investituram suò nomine ab alio petitam, eiqve non contradixit; tum si illi, qui hanc investituram intra annum & diem nomine ipsius petiit, etiam ignorans hoc factum esse, mandaverit investituram nomine ipsius petere. *Schr. p. 6. c. 3. n. 12. & seq.*

§. 9. Jam

§. IX. Jam, quoniam nihil quidem fit à tempo-
re, nihil non tamen in tempore, nec illud silentio præ-
tereundum est. Cur autem potius annus & dies, *II. f.*
24. & 40. quam aliud spatium, præfinitus sit, vixdum ra-
tio certa, quam quod consuetudine ita inveteratum &
hoc tempus moderatum ac sufficiens visum, reddi
potest. *Rosentb. c. 6. concl. 30. n. 4.* Et quamvis alias tem-
pus omne in dubio præsumatur continuum, hoc ta-
men annale spatium partim utile, partim continuum
interpretes statuunt. Continuum, quia feriæ & simi-
lia computantur; utile verò quod ipsò jure nec ab initio
nec in progressu propter legitimum impedimentum
vasallo currat; *I. f. 22. pr. l. 1. ff. de divers. & temp. præ-*
scr. ad eò ut ipse contra lapsum temporis hujus restitu-
tionem petere haud cogatur. l. 16. pr. ff. de min. Seb.
p. 6. c. 2. n. 50. Rosentb. cap. 6. concl. 46. n. 1. Nec
est, ut quoad hoc tempus distingvamus cum *Ro-*
sentb. cap. 6. concl. 30. num. 7. inter militem, actu mi-
litantem, & alterius conditionis Vasallum; de illo
accipientes *text. I. f. 22. ubi annus & mensis concedi-*
tur; de hoc verò textus alios II. f. 24. pr. 40. pr. 52. in fin.
55. pr. in fin. quibus annus & dies renovationi præfigi-
tur. Nam rectius cum *Struv. c. 10. aph. 7. n. 2.* dicitur,
diem in jure feudali non naturaliter sed civiliter acci-
pi, ita ut non unus dies, sed aliquot ultra annum intelli-
gantur, ad modum Saxonice locutionis, *Jahr und*
Tag. Hæc namque non denotat annum & unicum di-
em, sed plures dies ultra annum, nimirum 6. septima-
nas cum 3. diebus *Landr. l. 1. art. 28.*

§. X. Atque veadmodum hoc tempus à lege definitum Dominus invito Vasallò nec minuere (aliud tamen jure Sax. statutum *Lehur. cap. 22.*) nec prorogare potest; *Schr. p. 6. c. 2. n. 3. & seq.* ita, si Vasallus intra illud tempus renovationem dolò *II. f. 52. §. ult.* vel negligentia inexcusabili *II. f. 55. pr. in fin.* quippe quæ hoc casu dolo æquiparatur *Rosenth. c. 6. concl. 56. n. 3. & seq.* non petierit, ipse ejusque liberi feudum amittunt *II. f. 31.* Ut igitur constet vasallum dolò vel ejusmodi negligentia omisisse petitionem renovationis investituræ opus est causæ cognitione & sententiâ condemnatoriâ; *Rosenth. c. 10. concl. 41. n. 5. Carpz. p. 3. C. 27. def. 12. n. 8. Struv. c. 10. aph. 8. 2.* neque liberi quidem feudo privantur, nisi Dominus vivente adhuc eorum patre (nam alias remisisse videtur *Carpz. d. l. def. ult. n. 2.*) ad privationem agere cœperit. *Carpz. d. C. d. 10. n. 2.* Non tamen hæc Vasalli culpa præjudicat agnatorum juri succedendi, quòd à primò acqvirente, mediante patre eorum, qui nihil deliquit, habent. Ideo feudum quidem manet apud Dominum, quamdiu Vasallus, qui hoc amisit, ejusque descendentes vivunt; sed illis mortuis devolvitur iterum ad agnatos, ne iis per alterum iniqua conditio inferatur, *l. 74. ff. de R. J. Carpz. d. C. d. 11. n. 6. 7. Struv. d. l.*

§. XI. An verò hæc mora celeri satisfactione, i. e. antequam Vasallus in judicium vocetur, purgari possit, sunt quia ajunt, sunt qui negant; quorum opinio juri communi magis conformis esse videtur. Potissimum hæc de causâ, quia in omnibus dispositionibus, in quibus dies & pœna adjecta est, purgatio moræ non admittitur *l. 23. §. de illo ff. de Obl. & act.* At hic
utrum-

utrumque, diem certum & pœnam ex lege promanantem, reperimus. Hoc extra controversiam est, quod Dominus gratiam hujus moræ facere possit. *Rosentb. c. 6. concl. 61. Carpz. p. 3. C. 27. d. ult. n. 2.* Neque interesse agnatorum aut simultaneè investitorum obstare potest, quippe quod vivente Vasallò ipsis nondum competit. Nam feudum ob omissam vel non debitò tempore factam investituræ renovationem ad Dominum, cum in eum directò peccetur, devolvitur, non verò ad agnatos seu simultaneè investitos. *Carpz. l. 6. r. 84. n. 13.* Condonat autem hanc culpam Dominus vel expressis verbis; vel tacitè, non solùm, si susceperit servitia aut investituram, sed & cum Vasallo saltèm denunciârit, ut accipiat investituram, vel ut serviat. Idem fermè erit, si post caducitatem Vasallum, suum Vasallum vel fidelem, aut parem curiæ nuncupârit, quia & sic omnis delicti macula abstergi videtur. *Rosentb. c. 6. concl. 61. num. 3. 4.* Quæ tamen rursus limitantur, nisi Dominus commissum esse feudum ignoraverit, vel de eo dubitaverit, vel in justò errore fuerit, vel etiam manifestè protestatus dixerit, nolle se hac ratione caducitati veniam dare, sed eam sibi reservare. *Rosentb. d. 1.*

§. XII. Tandem de effectu renovationis investituræ, cum quæritur, sciendum est, eam juris novi nihil conferre, sed saltèm id, quod invenit, hoc est, quod Vasallus jam antea vigore primæ investituræ habet, fovere atque confirmare. *Rosentb. c. 6. concl. 68. num. 1.* Ex quò accidit, ut super renovatâ investiturâ iustrumentum eòdem tenore, quò prima investitura est facta, confici soleat; & posteriores investituræ juxta primam inter

ter extantes, quippe quæ radix quasi sequentium ac fundamentum, sint regulandæ. Quod adeo verum est, ut in recentioribus, si à primâ discrepent, error potius commissus, imò continuatus, quam quid immutatum censeatur; *Schr. p. 5. c. 2. n. 37. Rosenth. c. 6. concl. 69. n. 15.* quanquam, si primâ investitura fortè dubia est & obscura, ex sequentibus rectè potest declarari. *Rosenth. l. c. n. 12.* Aliquando verò expressâ Domini investientis & Vasalli investiti voluntate aliquid pacto adjecto immutatur. Quò tamen casu distingvendum videtur: an feudi jus fuerit in posteriori investiturâ, à Domino, pacto adjecto, auctum, & proderit illud omnibus Vasalli successoribus, cum Dominum ejusq; successores ex illo pacto obligatum teneant: an verò feudo quid ademptum, & haud nocebit agnatis successoribus, causam à Vasallo, mutationem admittente, non habentibus, sed illi investituræ primo acqvi renti, cui succedunt, factæ inhære possunt. *Struv. Synt. Jur. Feud. c. 10. apb. 6. n. 2.*

§. XIII. Quæ restant excutienda, sunt contraria renovationis investituræ; nimirum pactum vel consuetudo specialis, & denique omissionem Vasalli causæ quædam excusantes. Cum enim pacta dent legem negotiis humanis, *l. 23. ff. de R. J.* nullum dubium est, quin ista renovationis petitio, quæ secundum naturam regularem contractus feudalis exigitur, pacto investituræ adjecto, remitti possit. Nec obstat, renovationem concernere devotionem & reverentiam Domino debitam, ut Dominus eam remittendò contemptum sibi conciliare & vasallum ad infidelitatem, cum feudi substantia tamen fide nitatur, invitare quasi videatur. *Quam-*

VIS

vis enim renovatio investituræ ita inhæreat naturæ feudali, ut eam omittens Vasallus merito ingratitude reus existat; *II. f. 24. pr. §. 1.* rectè tamen peculiari conventionem remitti potest, quia tùm non reverentia domino debita, sed ejus duntaxat signum condonatur. *Knich. de Vest. pact. p. 3. c. 4. num. 8. §. seqv.* Notandum verò, quod, licet in constitutione feudi pacto convenerit, ne præstetur juramentum fidelitatis, non tamen simul remissa censeatur petitio renovationis investituræ. Sunt enim separata præstatio juramenti & renovatio investituræ, ideoque uno remissò alterum non intelligitur remissum, *arg. l. 20. pr. ff. de min. l. fin. ff. de Calumn. l. 91. ff. de R. J. Rosentb. c. 6. concl. 35. n. 6.*

§. XIV. Consuetudine alicujus loci si introductum, ut feudò investitus non privetur ob negligentiam non factæ renovationis investituræ, eà quoque omninò standum erit, cum naturalibus uniuscujusque contractûs consuetudine & addi & detrahi possit. *l. 31. §. 20. ff. de edil. edict. l. 17. §. 1. ff. de aqua §. aqu. pluv. arc.* Et hoc facilius in feudis, quam in aliis contractibus admittitur. Nam, cùm feudum ejusq; natura & forma à consuetudine inventa sint, certum est, illius naturam consuetudine etiam augeri atque minui posse. *arg. l. 35. ff. de R. J.* Sic consuetudine, teste Carpzovio, invaluit, ut possessores investiti de feudis exiguis & parvis, de quibus pensiones tantummodò annuæ, non etiam servitia personalia seu militaria præstantur, ut sunt vulgò in pagis *die Schulzen = oder Richter = Güther / Mannlehn* / jure suò non cadant in forò Saxon. etiam si intra anni & diei spacium renovationem investituræ

C

non

non petierint, *Carpzov. p.2. C. 45. def. 21. num. 4.* Cui non dissimilis singularis in Lusatia Superiori consuetudo, quæ non opus habent simultaneè investiti, antequam ipsis successio obvenerit, renovationem investituræ petere, quod confirmatum est in *Churfürstl. Durchl. zu Sachsen Lehns-Ordnung in Marggraffthumb Oberlausitz A. 1653. vid. Struv. c.10. aph.1. n. 5.*

§. XV. Causæ, quæ justam negligentis vasallo præbent excusationem, ex personâ tum Domini tum Vasalli oriuntur, vel etiam casus fortuiti sunt. Respectu Domini referuntur à Dd. præcipuè (I.) absentia Domini, sive justa sive injusta fuerit. *Rosentb. c.6. concl. 50. num. 1. Schrad. p.6. c. 2. num. 39.* Quod tamen hoc cum moderamine intelligendum est (1.) si Dominus absens sit in loco admodum remotò, non vicinò, quem sine negotio & sumptibus vasallus facillè accedere potest. (2.) nisi Dominus feudi peregrè proficiscens procuratorem sive commissarium reliquerit, qui hoc potest expedire. *Rosentb. d.1. num 2. § 7.* (II.) Inimicitia capitales aut gravissimæ citra vasalli culpam exortæ *I. f. 22. Rosentb. c.6. concl. 53. num. 1. 4. § 7.* Quæ autem inimicitia sint capitales, quamvis iudicis arbitrio relinqui soleat, dubitandum tamen non est, quin quæstio statûs, capitis, honoris, aut omnium vel & majoris partis bonorum (si quidem pecunia alter hominis sanguis & vita dicitur) hoc in genere sint ponenda. *Rosentb. d.1.* Cæterum à Schradero hæc excusationis causa ita ampliatur, ut etiam locum habeat non tantum in inimicitis inter Vasallum & Dominum, sed etiam inter ipsum Vasallum & tertium natis, puta si fortè per ipsius loca iter faciendum

dum sit. *Schrad. p. 6. c. 2. num. 34. Rosenth. d. l. num. 6.*
Quod usque eò verum est, ut vasallus tali casu nec pre-
curatorem mittere, nec literis salvi conductûs fidere,
quoniam fragilis hæc est cautio, teneatur; præsertim si
aliqua sit conjectura, hunc salvum conductum qui ce-
derunt, fidem datam non servaturos. *Schr. d. l. n. 35. &*
seqv. Rosenth. d. l. num. 5. (III.) Infamia; non quælibet
sed magna, ut si fuerit bannitus Dominus ab Imperato-
re vel rege suo *arg. II. f. 28. pr.* Aliud obtinet, si Vasal-
lus labore infamiâ. Non enim is ob suam ipsius infamiâ
aliquâ veniâ dignus est: ne videl. ex suo delicto lucrum
sentiat, quod naturali æquitati refragatur. *l. 1. §. 1. ff. de ex-*
cept. dol. mal. Rosenth. c. 6. concl. 51. n. 4. (IV.) Infantia *I.*
f. 22. si nimirum tutore careat infans Dominus. *Rosen-*
thal. c. 6. concl. 42. num. 1. Nam si tutorem habet, ab
eo necessariò investitura petenda est. Quod etiam sta-
tuendum de Domino furioso & mente capto, quia in-
fanti comparantur *§. 4. f. de Cur. §. 9. cum seq. de inut.*
stipul. Cum verò infantiam egressus est Dominus, ne-
mo dubitare debet, quin cujuscunque sit ætatis, modò
aliquem habeat intellectum, sive tutorem vel curato-
rem habeat, sive non, investituram feudi per antecesso-
res suos dati, cum hæc ratione nihil alienetur, rectè pos-
sit renovare *II. f. 3. pr.* adeoque ab eo petenda sit reno-
vatio. *Schr. p. 6. c. 2. num. 31. Rosenth. c. 6. concl. 42. num. 3.*
Consultius tamen est, curatorem vel tutorem, si quem
habet, adhiberi, quod Vasallo aliàs, cum Dominus pu-
pillus ei non obligetur, haud per omnia satisfiat. *Rosenth.*
d. l. n. 6. (V.) Mors Domini pendente renovationis
tempore contingens *I. f. 22.* Hinc etsi Dominus tem-

pore exiguo ad renovandam investituram reliquò, vità emigret, in personà novi Domini vasallo totum tempus anni & diei à morte ipsius Domini defuncti denuò conceditur. *Rosenth. c. 6. concl. 45. num. 2.* Quod tam in novò quàm antiqvo feudò indistinctè obtinet, ut ex iis, quæ infra in casu vasalli morte præventi dicentur, satis lucidè apparebit. (VI.) Si duo de dominio directo, ad quem nimirum pertinere debeat, neutro possidente, controvertant: dummodò tamen Vasallus hoc casu protestetur per se non stare, quò minus à vero Domino recognoscat. *Schr. p. 6. c. 2. n. 22. Rosenth. c. 6. concl. 52. n. 4. & seqv.* (VII.) Si heres Domini hereditatem, ad quam dominium directum spectat, nondum adierit, quoniam ante aditionem factam nec vasallus renovationem petere, nec heres eam conferre potest. *Rosenth. c. 6. concl. 48. num. 8. 9.*

§. XVI. Excusationum causæ, vasalli personam respicientes, potissimæ sunt: (I.) Absentia *I. f. 22.* iusta scil. & necessaria, non verò temeraria aut voluntaria. Et hoc usque eò verum est, ut non teneatur procuratorem mittere ipse vasallus absens, & si fortè domi reliquit, & is non petiit, nihilominus veniam mereatur. Quod autem de voluntaria absentia dictum est, id ita videtur intelligendum, si vasallo adhuc præsentem tempus præfinitum currere cœpit; secus si ipsi jam absente Dominus aut vasallus prior mutetur, quia non debuit istum casum suspicari. *Rosenth. c. 6. concl. 50. num. 5. 6.* (II.) Ætas pupillaris *I. f. 22. II. f. 55. §. præterea si quis.* ideoque 14. annis minores, etiam tutorem habentes, ipso jure tuti sunt,

sunt, & ad recognoscendum aut fidelitatem præstan-
dam nec ipsi nec tutores [quibus tamen licet, si libet, no-
mine pupillorum petere renovationem: quo casu jura-
mentum in annos pubertatis differtur, & datur interim
breve testatum, quod einen *Muth-Zettel* oder *Indult-
Schein* vocant,] compelli possunt. *II. f. 26. §. si quis de-
cess. Rosentb. c. 6. concl. 41. num. 1.* Id quod à quibus-
dam etiam extenditur, ut duobus filiis feudum com-
mune habentibus major propter minorem, si res sit in-
dividua, excusetur. *Schrad. p. 6. c. 2. num. 27. Rosenthal.
d. l. num. 2. Carpzov. p. 2. C. 45. d. 19. num. 3. cum seqv.*
Secus verò est in posthumo, propter quem filius jam na-
tus renovationem investituræ differre non potest; sed
saltem pro istâ portione, in qua videtur successurus, eam
petere necesse habet. *Schrad. p. 6. c. 2. num. 8. Rosentb.
c. 6. concl. 34.* Et quamvis *d. II. f. 55. §. prætereà.* solum
utatur genere masculino, tamen cum is non faciat men-
tionem ætatis pupillaris, sed terminum petendæ investi-
turæ, 14. vid. ætatis annum exprimat, & masculinum
comprehendat foemininum, interpretibus communiter
placet, ut iste terminus etiam in foeminis observetur,
non attentò, quod illæ anno 12. ex legis præscriptò pube-
res habeantur. *Rosentb. d. concl. 41. num. 3.* In quo tamen
jus Saxonicum aliquò modò à jure civili discrepat, quia
juxta hoc investituræ petendæ tempus incipit currere
minori, postquam is excessit ætatem annorum 13. & 6.
mensium *Lehnrecht. cap. 26. Schrap. p. 6. cap. 2. num. 26.*
His adde, quod minor 25. major tamen 14. annis,
renovationem quidem investituræ petere debeat, sed
prætermittens, in integrum, nisi reverà contumax fue-
rit,

rit, restituatur; ac, si fortè curatoris negligentia tempus effluxerit, in ejus sit electione, utrum restitutionem petere, an verò damnum à Curatore exigere malit. *Rosentb. c. 6. concl. 40. num. 1. 4. 6. 7.* (III.) Mors vasallum præveniens *d. I. f. 22.* Quamobrem si vasallus mortuus est, cui duntaxat e. g. mensis, plus minusve, ad petendam investituræ renovationem superfuerit, heres ejus feudalis non adstringitur ad hoc tempus defuncto superfluum, sed potiùs ex suâ ipsius persona, annum & diem à morte Vasalli defuncti numerandum denuò consequitur. *Rosentb. c. 6. concl. 45. num. 1.* Et licet aliqui Dd. contendant, hæc tantum procedere in feudo antiquo, in feudo verò novo tempus petendæ investituræ, quod Vasallo prædecessori lapsum est, successori, (sicut aliud quodlibet factum prædecessoris in feudo novo ei nocet) imputari. Tenemus tamen cum Schradero, quod successori Vasalli ad investituram petendam nunquam, etiam in feudo novo, imputetur tempus, quod prædecessori suo lapsum fuit. Quamvis enim in tale feudum novum succedatur ex facto, sive pacto prædecessoris; non tamen investituram respectu hujus feudi ex ejus, sed ex propria persona successor petit, ut adeò tempus prædecessori lapsum ei imputari sive nocere haudquaquam debeat. *Schrad. p. 6. c. 2. num. 71.* (IV.) Ignorantia, [quia à die scientiæ demum tempus statum currere incipit. *Rosentb. c. 6. concl. 47. n. 1. Carpz. p. 2. C. 45. d. 20. n. 3.*] modò non sit crassa & supina, sed invincibilis aut excusabilis *II. f. 92.* Sic v. c. si quis nesciat, feudum sibi apertum esse, vel dominum fati concessisse, vel bona, in quæ succedit, feudalia esse, utiqve meretur veniam. Contrà, si com-

si communis vox & fama sit, dominum vel agnatum de-
cesfisse, aut ex instrumentis in hereditate repertis, hanc
vel illam rem feudalem esse constiterit, adfectata, eaq;
propter non ferenda, ignorantia iudicatur. *Rosentb. d. l.*
num. 1. & seqv. Præsumitur autem in dubio Vasallus po-
tius ignorasse casum petendæ investituræ, quàm dolosè
eam omisisse: ideoqve scivisse vasallum Domino proba-
re incumbit *Schr. p. 6. c. 2. num. 16.* Aliquando tamen te-
netur Vasallus, si fortè minus probabilis sit ignorantia,
eam, sicut & alia impedimenta, nisi fuerint notoria, do-
cere, vel etiam juramento confirmare. *Rosentb. c. 6. con-*
clus. 55. Struv. c. 10. aph. 9. num. 2. Denique omne impe-
dimentum, ut belli, pestis, inundationis &c. quod modo-
cunqve obstat, quo minus commodè à Domino Vasallus
investituram petere possit, huc etiam pertinet *I. f. 22.*
II. f. 52. §. ult. Rosentb. c. 6. concl. 56. num. 6. Carpz. p. 2. C. 45.
d. 18. num. 2. Siquidem in dolo esse non præsumitur, qui
justam omissionis causam prætere habet, cum quæ-
libet probabilis causa, etiam fatua & insulsa, à dolo ex-
cuset. *l. 12. §. 3. ff. de lib. causa.*

§. XVII. Hisce tamen casibus, si causa, quæ excu-
sat à petenda investitura, cessaverit rursus, cogitur Vasal-
lus intra annum & diem à tempore cessantis Impedi-
menti, petere renovationem investituræ; alioquin feū-
do privatur perinde, atqve si effluxo antè tempore inve-
stituram petere nullò impedimentò remoratus negle-
xisset. Et hoc, quod tradunt Dd. impedito, à tempore ces-
santis impedimenti, annum & diem ad petendam inve-
stituram concedi, tunc demum verum est, quando sta-
tim

tim ab initio evenientis casûs investituræ petendæ ali-
quod adfuit impedimentum ; secus verò est, quando in
ipso cursu temporis obstaculum quoddam ex postfacto
forte supervenit. Tunc enim ipsi non conceditur ad pe-
tendam investituram integer annus & dies à tempore
impedimenti cessantis, sed computatur & illud tempus,
intra quod ipse, ante impedimentum emergens, investi-
turam petere potuit. *Schr. p. 6. c. 2. num. 59. 61.*

§. XVIII. Ad impetrandam verò [quod coronis-
dis instar subnecto] investituram, quibus ea opus est ca-
sibus, vasallus adversus Dominum experiri potest, ut
quidem communiter dicunt, conditione ex moribus vel
consuetudine feudali. Quoniam recepta sententia est,
quod ex novo aliquo contractu per legem aut consuetu-
dinem introducto [qualis est contractus feudalis] nec
genere actionis expresse, agi debeat conditione ex illa
lege aut moribus seu consuetudine. *Rosenth. c. 12. concl. 11.
num. 9. Carpz. p. 2. C. 45. d. 23. num. 7. Sed Struv. Synt.
Jur. Feud. c. 10. aph. 11. cum aliæ ejusmodi actiones, à con-
tractibus, ex quibus descendunt, denominari soleant,
eam etiam actionem ex investitura seu contractu feuda-
li rectius vocari existimat. Nos cum in effectu res eo-
dem recidat, quoniam suo abundare sensu facile
patimur, finientes cum illo, quod ul-
timum omnium exprimit
finem:*

SOLI DEO GLORIA!

☞: (o) :☞

00 A 6412

ULB Halle 3
002 916 525





Sb,

R

DA







B.I.G.

Farbkarte #13

no.

DISSERTATIO JURIDICA,
De
**RENOVATIONE
INVESTITURÆ
FEUDALIS,**

Quam
Indultu Nobilissimi Jctorum Ordinis
SUB PRÆSIDIO
D. CASPARI ZIEGLERI,
Sereniss. ac Potentiss. Elect. Saxon. in Supremô Judiciô
Appellationum Senatoris, Facult. Jurid. Wittenb. Ordinarii,
& Decani, Curia Electoralis, Scabinatûs,
Consistoriiq; Assessoris,

publ. defendet
JOHAN-ADAM Schreckenfuchs /
Müg. Misn.

Hor. locoq; consuet. Die IX. Mart. A. cto 17c LXXXII.



WITTENBERGÆ,
Prælo MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

